

Bernardi de Aguirre Tractatus de Operibus Creationis

Saeculo decimo sexto, ob rationes diversi generis, Praemonstratenses Hispani sese in Congregationem specialem univerunt. Et, practice saltem, ab aliis centris Ordinis Praemonstratensis separati vixerunt ¹⁾. Quamvis ex alia parte dicendum sit relationes vivas semper extitisse inter Praemonstratenses Hispanos et sodales Ordinis ad alias regiones pertinentes.

Breve compendium Statutorum et structurarum Praemonstratensium Hispanorum traditur a N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. t. III, Straubing, 1956, pp. 209-228. Abbates Praemonstratensium in Hispania, inde ab orta Congregatione illa Hispanica, erant triennales.

Cum vero Bernardus de Aguirre, de cuius tractatu theologico quaedam hic nonnulla referre et exponere intendimus, fuerit ét Lector S. Theologiae ét Secretarius suae Congregationis, opportunum erit exscribere ea quae a N. BACKMUND, *o.c.*, p. 225 de iis muneribus dicuntur : « *Lectores* maximo honori habebantur. Lectores Theologiae in Collegio et in Universitate Salmanticensi, titulo « Magistri » aucti, erant ex gravissimis personis in Congregatione. Sed etiam in omnibus aliis abbatiis, institutum erat studium, et erant Lectores graduati. Si aliquis Lector dederat 12 cursus annuos Theologiae vel « Artium » quae complectebantur et philosophiam, erat « jubilarius » ad vitam. Lectores, qui stricte adigebantur doctrina Sti. Thomae, solebant denuo confirmari in munere suo a Capitulis. *Secretarius* Abbatis et Capituli Generalis, eligebatur a Definitorio. Sine Secretario, Abbas Generalis nullum valide poterat promulgare decretum ».

In civitate Salmanticensi, anno 1568, consequenter ad decretum Capituli Provincialis Ordinis in Hispania, erectum fuit collegium, deinde abbatia facta, Speciatim ad promovenda studia in Ordine. Anno 1569, Collegium fuit aggregatum Universitati Salmanticensi ²⁾. Scopus erectionis illius Collegii hac ratione exponitur a C.L. Hugo in suis Annalibus, tom. II, col. 385 ³⁾ : « Capitulum Provinciale regni Hispanici

¹⁾ J.B. VALVEKENS, *Documenta quaedam de habitudine Abbatis Generalis Despruets* († 1596) ad Congregationem Praemonstratensium Hispanorum in *Anal. Praem.*, t. XLIII, 1967, pp. 226-271; T. MORAL, *Bases para una historia del « Prémontré » en España* in *Anal. Praem.*, 1968, t. XLIV, pp. 282-308; cum literatura ibidem indicata.

²⁾ N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. T. III, Straubing, 1956, p. 283.

³⁾ C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*. 2 voll. Nanceii, 1734-1736.

anno 1568 ... praecipuum reformationis promovendae studium prae oculis habens, tanto operi accelerando, nihil aptius iudicavit, quam elanguidum sacrae eruditionis amorem excitare, et litterarium erigere in docta palestra seminarium, ad quod Theologicis imbuendi scientiis scholares ex unaquaque Abbatia transmitterentur ».

Historia plus minusve completa collegii et abbatae S. Norberti in Salamanca deest. Elementa in quantum subsistunt abscondita manent in variis archivis Hispaniae. Nomina ac opera a lectoribus, magistris et abbatibus Praemonstratensibus apud Academiam Salmanticensem novisse vere instructivum esset.

Pauca quaedam de tractatu theologico spectabili unius ex Lectoribus Salmanticensibus exponere utile proinde censemus.

Agitur de lectore Bernardo de Aguirre. Multa de ipso non constant. Eius nomen occurrit quidem apud L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellis, 1899, p. 15. Parum vel nihil, ultra nomen ipsum, detegere potuit meritissimus Goovaerts. Relate ad Bernardi operositatem, haec ibidem legimus : « 1. Grand nombre de lettres, rapports, comptes-rendus, concernant les affaires de l'Ordre. 2. « Censura » du livre, *La Peccadora Arrepentida*, du p. de Noriega. Goovaerts ajoute : Je pense que le P. de Aguirre était docteur en théologie ».

Quaedam de ipso legimus in N. BACKMUND, *Les Abades trienales de la Congregation Premonstratense de Espana in Hispania Sacra*, 1958, t. XI, p. 7. Canonicus abbatae Urdacensis (Urdax), abbas triennalis S. Ioachim in Madrid, aa. 1750-1751, abbas in Urdax, aa. 1735-1738 ». Ex inscriptione vero libri, cuius editio approbata fuit finiente anno 1735, apparet Bernardum nostrum de Aguirre se dicere Lectorem S. Theologiae emeritum, nuper secretarium Congregationis Praemonstratensium Hispanorum, et modo Abbatem Regalis Conventus Sancti Salvatoris de Urdax. Liber proinde ille editus fuit inter aa. 1735 et 1738.

Liber Bernardi de Aguirre, de quo in praesenti, hanc inscriptionem prae se fert : *Dies Angelici Augustiniani, sive Explicatio dierum Creationis, ad mentem M.P. Augustini*. Salmanticae, Typis Eugenii Garcia de Honorato e San Miguel, Typographi Catholicae Majestatis, Universitatis, et Civitatis. 20×15 cm. (36+432 pp.; index rerum (20 pp.).

Auctor in fine (p. 432) testatur se hunc librum propter hanc rationem conscripsisse : « Haec vero pauca, quae scripsi, in Dei, ejusdemque Genitricis Mariae laudem, in M.P. et Legislatoris N. Augustini gloriam,

in Augustinianae doctrinae obsequium, in Augustini discipulorum utilitatem dicta sint». Ipsi operi praemittitur commendatio auctoris operis sui Salvatori Mundi, patrono abbatis Urdacensis, cuius abbas erat. Sequuntur gratulationes Conventus Augustianorum Salmanticensium, Censura confratris Praemonstratensis, Ildephonsi Gonzalez, eo tempore moderatoris Regentiae Cathedrae et Lectoris S. Theologiae; licentia pro publicatione subsignata a Steph. de Noriega, tunc reformatore, seu superiore generali Ordinis Praemonstratensis in Hispania et ab ipso Bernardo de Aguirre, tunc secretario generali; sequuntur Censurae ex parte P. Benedicti Marin, O.S.B., Ordinarii, Gregorii de Orbiz, Fr. Echeverria, lectoris iubilati in Collegio S. Norberti Salmanticensis.

A censore Ordinis, Ild. Gonzalez ⁴⁾ liber potissimum laudatur eo quod doctrinam genuinam S. Augustini, iuxta illum, exhibet. Haec, absque dubio, fuerat intentio auctoris : exhibere et proferre doctrinam S. Augustini. Iteratis vicibus quidem in decursu operis doctrina S. Thomae Aquinatis citatur; sicut et aliquorum Patrum Ecclesiae. Haec ultima tamen secundaria videntur in relatione ad praecipuum intentum: Exhibere mentem S. Augustini, legislatoris Ordinis. Sanctus ille siquidem est veluti aquila quae in sublime fertur. Est veritatis Doctor (p. 318). Est Doctor Spiritu veritatis plenus (p. 318) « Robustum Augustini ingenium in mensa abundantissima historiae profundissimae Moysis sumit panem sibi congruentem, dum aliis lac duntaxat ministrat in eadem ».

Compertum est Hispanos Praemonstratenses, speciatim de Noriega, non eminuisse spiritu positive-critico, maxime ubi narrat ea quae accidissent quando S. Norbertus Ordinem fundavit. Puta relate ad apparitionem B. Mariae Virginis habitum album Ordinis porrigentis; et ad sic dictam apparitionem S. Augustini, « regulam » suam communicantis S. Norberto. Hoc ultimum etiam a de Aguirre refertur. Scribit enim : « An ne et Praemonstratensibus, vere Augustinianis, magis arridebit ipsius tam subtilis, adeoque rationalis sententia? Utique : tot quippe titulis sumus Augustino devincti, quot homines ad gratitudinem solent moveri. Unum inter omnia praecipuum non tacebo. Quod, nimirum, SS. Patriarchae N. Norberto, de instituto eligendo nutanti, Deumque, ut ipsum in tanto negotio illustraret, oranti, apparuit Sanctissimus Legislator Augustinus, suamque aureis litteris

⁴⁾ Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, Bruxelles, t. IV, 1911, p. 93.

exaratam regulam porrexit, et Patrocinium suum, atque, in tremendo Dei iudicio tutelam, suis filiis, sub ejusdem regula bene militantibus, praestitutum benignissime obtulit» (p. 85).

Inde a saeculo decimo sexto Praemonstratenses Hispani practice separati ab aliis Praemonstratensibus vivebant. Apparet vero ex hoc libro Bernardi de Aguirre, hunc novisse et diiudicasse libros theologicos nonnullorum Praemonstratensium extra Hispaniam post introductam illam practicam separationem editos. Novit opus Florentini De Cocq (+ 1693)⁵⁾; illumque citat in fine praefationis operi suo praemissae: « Legant hoc opusculum qui volunt; qui nolunt, abjiciant; Eventilent apices, litteras calumnientur; magis sinceri Lectoris iudicio provocabor ad studium, quam illorum detractio, et odio deterrebor. Nec enim affecto laudem hominum, nec vituperium expavesco, sed veritatem quaeremus, et prout fragilitati humanae conceditur, in veritate ambulare nitimur. Hinc reprehensores non audio, sed sequor Magistros (intellige Augustinum). Carpere enim, et detrahere, vel imperiti possunt, docere non item ».

Philippus de Harvengt, huiusque opera⁶⁾, Bernardo nostro apprime nota sunt. Praefationem ad Lectorem incipit ope sententiae depromptae e libro Philippi de obedientia Clericorum. Litterae 6ae Philippi, in quibus agit Philippus de mente S. Hilarii scribentis de sequelis Incarnationis in Verbo incarnato, notae sunt ac sententiae ex illis litteris desumptas citat (p. 319 s.). Textum lit. 4 eiusdem Philippi ad Wedericum refert (p. 13 s.). — Bernardus quidem novit non omnes ex omni parte opus suum esse probaturos. Scribit et proelo committit opus suum, ut in praefatione ait, iterum verba Philippi de Harvengt citans: « Per angustum et lubricum iter pede gemino sic incedam, ut altero in-nixus spei, altero a timoris modestia non recedam; ut si forte spes tentaverit ulterius debito prosilire, timor eam compellat paulo citius resilire, et si timor mergi ceperit in abyssum, et foveam desperandi, spes revocans, et confortans, infundat ei fiduciam transfretandi. Et hoc mihi sua Deus gratia dignabitur impertire, cum in hoc opusculo tam suae, quam suorum voluntati desiderem obedire ».

Cum Bernardus de Aguirre explicitis verbis in titulo operis sui dicat se intendere « explicationem » tradere dierum Creationis ad mentem

⁵⁾ Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. I, 1899, pp. 127-129.

⁶⁾ Cfr. de Philippo de Harvengt: L. GOOVAERTS, o.c., t. II, 1902, pp. 34-37; varii articuli G. SIJEN in *Anal. Praem.*, 1938, 1939, 1941, t. XIV, XV, XVII, cum copiosa literatura ibidem allata.

M.P. Augustini», saepissime, imo fere in singulis paginis textus S. Augustini citantur. Videtur Bernardum nostrum non omnia et singula opera Augustini novisse; saltem practice in considerationibus suis fere unice sistit in libris *De Civitate Dei*; *De Genesi ad litteram liber imperfectus*; *de Genesi ad litteram*.

In fine operis habetur *Index Rerum* ordine alphabetico confectus. (20 pp.). Ex quo Indice apparet Bernardum relate ad plures quaestiones theologicas, quae occasione primi capitis libri Geneseos illo tempore motas suam mentem et «explicationem» non reticere. Illa singula hic indicare aut diiudicare non vacat. Paucis verbis exponemus themata generalia variorum articulorum; nonnulla addendo de ratione qua Bernardus pertractat materias expositas.

Tractatus iste potissimum procedit iuxta methodum speculativam, uti aiunt. Quaedam tamen notat variis locis de iis quae prae oculis haberi debent in exegesi recta instituta libri Geneseos. Quamvis, uti patet, Bernardum nostrum, saeculo decimo octavo, non perspexisse quaestiones tam multas historico-criticas quae nunc poni solent et debent relate ad caput primum totius S. Scripturae obvium sit. Similiter non habetur hic tractatus de Deo creante plus minusve completus. Quaestiones solummodo speciales considerantur. Quae satis clare in titulis singulorum Articulorum indicantur :

Art. 1 : Quo sensu litera Moysis Genes. I. Cap. sit intelligenda, maxime a Theologis (pp. 4-17); conclusio expositionis est ita : Litera Moysis in 1 cap. Gen. in sensu literalis et proprio exponenda est. — Art. 2 : Utrum Lux proprie in spiritualibus dicatur (pp. 17-26). — Art. 3 : Utrum Opificium Mundi, ut ex omnibus suis partibus constat, sit a Deo simul conditum, et ordine, quo nunc extat, dispositum? (pp. 27-144). — Art. 4 : Utrum dies Creationis mundi fuerint naturales et successivi? (pp. 144-165). — Art. 5 : Utrum dies creationis mundi fuerint spirituales et Angelici? (pp. 166-328); in quo articulo late disputat de scientia matutina et vespertina Angelorum. — Art. 6 : Exponitur ad litteram textus Moysis Gen. 1. ad mentem parentis Augustini (pp. 329-432), in quo articulo versus cap. 1 libri Geneseos successive considerantur et eorum «sensus literalis» ad mentem s. Augustini determinatur. De divisione libri Geneseos in fontes litterarios nullibi sermo fit; Moyses est simpliciter auctor libri Pentateuchi. Quod nullo modo infitiandum est auctori tractatus, Bernardo de Aguirre. Quippe qui vivebat aetate in qua quaestiones de generibus litterariis adhibitae in Pentateucho, et simillimae inquisitiones ignotae erant.

Notari etiam posset varias expositiones huius libri redolere « concordismum » quemdam; censebant enim auctores illius aetatis generatim expositiones libri Geneseos concordare cum cursu naturali quo creatio de facto successerit.

His in genere dictis, negari nequit Bernardum de Aguirre hinc inde principia edixisse quae quaestiones etiam modernas motas in exegesi vere prae oculis habent. De Moyse, qua auctore libri Geneseos, dicitur ipsum scripsisse ita ut etiam a rudioribus intelligi et aestimari possit (p. 113: 121; 324), ita tamen ut etiam « sapientibus » lumen afferri possit (p. 140). Notat Bernardus noster dari criticam textus; lectiones variantes textus libri Geneseos dari notat; quaestionem hanc non tractat absolute, sed solummodo sese referendo ad lectiones variantes quae invenit in textu latino sicut traditum hunc invenit in libris s. Augustini.

Tandem laudari potest Bernardum nostrum bene perspexisse momentum verae significationis sensus literalis. Relate ad hunc reflectit (p. 14), sistendo in textu Philippi de Harvengt, expositiones diversas eiusdem textus intentioni Auctoris sacri posse esse consentaneas. Quidquid sit de tali asserto : « litera Moysis in 1. cap. Geneseos in sensu literali et proprio exponenda est ...Dico quod praecipue scrutanda est in primo cap. Genesis intelligentia literalis » (p. 15). Quid iteratis vicibus de « sensu literali » S. Scripturae censeat Bernardus de Aguirre, patet ex notatis in Indice, ad calcem operis appposito, ad vocem « Sensus ». Ubi haec legimus : « Sensus literalis 1. cap. Gen. profundissimus et difficillimus. Sensus Scripturae quadruplex. Sensus literalis rigorosus ex propria vocum significatione usurpatur. Sensus literalis in eodem textu Scripturae S. potest esse multiplex. Sensus literalis multiplex confert, ut facilius contra infideles Scripturae veritas defendatur. Nullus sensus eorum, quos literae circumstantia admittit, excludendus. Sensus literalis Scripturae profunda scrutatione investigandus. Sensus parabolicus sub literalis continetur ».

Ex considerationibus istis de tractatu de Creatione ad mentem S. Augustini Bernardi de Aguirre, quondam professore in universitate Salmanticensi, conclusio haec deduci potest : Quamvis expositiones, potissimum ratio iuxta quam expositiones istae sunt conceptae et elaboratae, plene redoleant indolem expositionum theologicarum saeculi durante quo elaboratae fuerunt, abbas iste Praemonstratensis opus quidem nec vere originale, nec aere perennius ad finem foelicem

perduxit, sed quod in literatura theologica saeculi decimi octavi incipientis meritis positivis nullo modo carebat.

Abdijstraat, 1
B-3281 Averbode

J.B. Valvekens, O. Praem.

De geschiedenis van het aartsbisdom Maagdenburg tot de 12de eeuw

Wanneer W. Hoppe in 1956 nog terecht kon schrijven dat de Maagdenburgse geschiedenis in het geheel van de kerkgeschiedenis bepaald stiefmoederlijk werd behandeld ¹⁾, dan blijkt deze uitspraak nu reeds enigszins achterhaald. Sedertdien hebben immers meerdere eminente Duitse historici zich met de Saksische ²⁾ en Maagdenburgse kerkgeschiedenis ingelaten, zodat een enorme vooruitgang werd geboekt. Bovendien werd ook in de reeks *Germania Sacra* een deel over de Maagdenburgse kerken aangekondigd ³⁾.

Hier zal speciaal aandacht worden besteed aan het zopas verschenen eerste deel van de geschiedenis van het aartsbisdom Maagdenburg tot het einde van de 12de eeuw, door Dietrich Claude ⁴⁾. In zijn eerste deel behandelt de schrijver de Maagdenburgse geschiedenis vanaf de kerstening van die streek tot 1124, dus juist voor de ambtsaanvaarding van Norbertus. Zijn tweede deel zal reiken tot aan de dood van aartsbisschop Wichmann (1192) ⁵⁾.

Vanzelfsprekend zal het tweede deel belangrijker zijn voor de

¹⁾ W. HOPPE, *Das Erzstift Magdeburg und der Osten*, in *Historische Zeitschrift*, 1956, CXXXV, blz. 369, noot 1.

²⁾ Vooral W. SCHLESINGER, *Kirchengeschichte Sachsens im Mittelalter*, *Mitteldeutsche Forschungen*, 27, 2 dln, Graz, Keulen, 1962. Zie daarover W.M. GRAUWEN, *Aantekeningen bij de Kerkgeschiedenis van Saksen* door W. Schlesinger, in *Analecta Praemonstratensia*, 1966, XLII, blz. 330-337.

³⁾ Tegen eind 1972 werd aangekondigd : *Germania Sacra. Die Bistümer der Kirchenprovinz Magdeburg. Das Erzbistum Magdeburg I, 1 : Das Domstift St. Moritz in Magdeburg*, I, 2 : *Die Kollegialstifter St.-Sebastian, St. Nicolai. St. Peter und Paul und St. Gangolf in Magdeburg*, bearbeitet von G. WENTZ und B. SCHWINEKOEFER.

⁴⁾ D. CLAUDE, *Geschichte des Erzbistums Magdeburg bis in das 12. Jahrhundert*, dl. I, *Die Geschichte der Bischöfe bis auf Ruotger (1124)*, *Mitteldeutsche Forschungen*, 67/1, Keulen, Wenen, 1972, in-8°, XVI-460 blz. DM 74.

⁵⁾ *Einleitung*, blz. XV.